



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

41. An sit denunciandus Confessarius, qui dicente foemina, se velle in
crastinum confiteri, illam sollicitat, & confessionem dissuadet? Ex p. 4. tr.
5. res. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

longè diversam.] Hæc ille, qui loquitur in terminis Bullæ Pauli V.

2. Nunc verò per Constitutionem Gregorij aliter dicendum est. & dictum Confessarium denunciandum, ut apparet in illis verbis Bullæ: *Sive extra occasionem Confessionis*, in quibus clarè Summus Pontifex determinat, Confessarium esse denunciandum, etiam si extra Confessionem in confessionario feminam sollicitet.

RESOL. XXXIX.

An si Confessarius, & penitens conveniant in simulatione confessionis, ut ibi inhonestos sermones habeant, sint denunciandi, & incidunt in penas Bullarum?

Et quid, si bono animo penitens accedat, alia negotia in confessione tractatura, Sacerdos vero occasione arrepta, ad Venerem inducat? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 10.

^{Sup. hoc sup. in ref. 16. §. ult. & inf. in p. 4. tr. 5. & in alio §. eorum annotat.} §. 1. **N**egativè respondet Castr. Palanus tr. 4. diff. 9. punct. 8. num. 2. ubi sic ait: Si uterque in simulatione confessionis conveniunt ut liberius de rebus inhonestis tractarent, nemini incumbit obligatio denunciandi, non Sacerdoti, ut de se constat, neque penitenti, aliàs esset obligatus denunciare se ipsum. Neque hæc sollicitatio est propria Sacerdotis potius, quam penitentis, sed est mutua sollicitatio ac proinde in sollicitationem sibi factam uterque consentit. Hæc sententia est probabilis in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clem. VIII.

2. Verùm stante nova Constitutione Greg. XV. non est tenenda, & ideo Ioan. Sancius in *selectis disput. 15. num. 3.* sic ait. Quamvis aliquibus piis & doctissimis viris visum sit non solum mortale crimen committendum in huiusmodi fictione, verùm contra illum casum procedere rationem & mentem Brevis contra sollicitantes Confessarios editi, utpote peccantis sub confessionis scuto, & in illius opprobrium, ut refert Acugna de *solic. Confess. quest. 15. num. 2.* qui tamen non comprehendit sub Brevis casum illum censet. Verùm, quamvis sub dicto Brevis non comprehendatur casus ille, comprehenditur tamen ex vi decreti Gregor. XV. ut constat ex illius tenore. Ita ille.

^{Sup. hoc in ref. præterea, & vide Ref. ejus not.} 3. Nota tamen quod si penitens bono animo accedat, alia negotia in confessione tractatura, Sacerdos verò occasione arrepta ad Venerem inducat, tunc etiam secundum ipsum Castrum Palanum est obligatio in penitente denuntiandi Sacerdotem, ex dicta Constitutione Gregor. & ideo Soula in *aphor. Inquis. lib. 9. cap. 34. num. 42.* ita asserit. Sollicitatio in loco ad audiendas confessiones deputato, non tamen in actu Confessionis, non comprehenditur in dictis Constitutionibus secundum antiqua jura. Secus in jure novo Bullæ Gregor. XV. quod comprehendit omnem sollicitationem tam in confessionario, quam in loco ad audiendas confessiones deputato, seu ubi confessiones audiuntur, dummodo simuletur confessio. Hæc ille.

RESOL. XL.

An si Confessarius, qui ante, vel post confessionem feminam sollicitavit, sit denunciandus?

Et quid, si post longum tempus eam sollicitavit?

Et an si denunciandus Confessarius, qui penitentem literis amatoris, lenonibus, & internuntiis sollicitat; vel qui accedit post auditam confessionem ad domum mulieris, & ibi illam sollicitat? Ex part. 1. tract. 4. Ref. sol. 14.

§. 1. **N**egativam sententiam docet, ex Societate *de su. Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. p. 19. regul. ver. sollicitare feminas, num. 6.* quia in Bullis Pontificis Clem. VIII. & Pauli V. erant illa verba: *in audiendi Confessiones, & dum eorum audiam Confessiones*, non est extendenda ad crimen factum propè, vel paulò post Sacramentum: quia lex poenalis, ut *sup. diximus*, non est extendenda.

2. Hæc opinio erat probabilis, licet contrarium docet Bariola in *Flor. Inquis. fol. 226.* Scotti in *Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.* Ortiz in *summa, 2. 4. n. 11.* Llanas in *summa, part. 3. cap. 8. §. 15.* Giptius *tract. de casu reserv. cap. 14. n. 3.* Cortolanus de *casu reserv. p. 2. cas. 9. in similitudine* in *1. p. lib. 1. cap. 5. n. 32.* Villalobos in *summa, 16. tr. 9. dub. 36. n. 20.* Bonacina de *matrim. 4. punct. 16. propos. 5. n. 7.* Riccius Cherubinus in *praxi, par. 2. ref. 140. n. 1.* Paramus de *orig. Inquis. lib. 3. qu. 10. n. 44.* Rodriquez in *9. regul. 10. 2. q. 27. art. 2. §. 3.* Cherubinus in *comp. Bullar. 10. 2. Conf. 31. Pij IV. scbol. 1.* Genensis in *praxi, cap. 76. n. 2.* Henricus in *summa lib. 6. cap. 17. n. 4. in Glossa, lib. 1. L. Molfesius in summa, som. 1. tr. 7. cap. 4. n. 31.* Homobonus de *exam. Eccl. par. 1. tr. 7. c. 24. num. 29.* & alij, quia patia sunt, aliquid fieri in actu Confessionis, vel paulò ante, seu post, ut habetur in Glossa, *Pompianus, §. raro. ff. de officio Proconf. & per ea, quæ adducit Tituquellus de retract. conven. p. 2. §. 1. gloss. 4. §. 2. §. 3.*

3. Sed hodie per Bullam Gregorij XV. cessavit hæc questio: nam ibi clarè statuit, esse tales Confessarios denunciandos, in illis verbis Bullæ: *in actu sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediatè.* His tamen non obstantibus, est rejicienda, tanquam falsa, opinio illa Navarri quam adducit Paramus, ubi *supra*, dicens, posse Inquisitores animadvertere adversus Confessarium, post longum tempus, extra Confessionem feminam sollicitantem. Vnde rectè notavit Rodericus Acugna *tract. de Confess. sol. c. 9. §. 5. n. 15.* Confessarium non esse denunciandum, qui penitentem literis amatoris, lenonibus, & internuntiis sollicitat, neque, ut in *not. 4.* notat Molfesius in *summa, som. 1. tract. 7. cap. 24. n. 2. lib. 1.* accederet post auditam Confessionem ad domum mulieris, & ibi illam sollicitaret: quod etiam docet Scotti in *Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.*

RESOL. XLI.

An sit denunciandus Confessarius prætextu confessionis agenda vocatus, si postea in domo sollicitet? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 37.

§. 1. **A**firmativè videtur respondendum ex Sancto in *select. disput. 11. num. 68. in fine.* ubi sic ait: Sive in domo femine simulatio illa interveniat, dum videlicet prætextu confessionis agenda vocatur Confessarius, utrique tamen intentione venerorum agendorum ad simulandum ducerentur. Ita ille.

2. Sed negativam sententiam, & meritò, docet Freitas de *Confess. sol. in novissima editione quest. 15. num. 44.* ubi sic ait: Si Confessor domum vocetur sub prætextu confessionis, veluti ut Prælatus Confessor decipiat, cum tamen ex præcedente tractatu tam Confessor, quam femina intentionem habeant venerorum agendorum, puto Brevis non esse locum, eo maxime, quia in casu Sancij non proponitur sollicitatio ex parte Confessoris in sacramento Penitentiae, vel proxime, sed tractatus remotus ex utriusque placito, qui tractatus præcedens nihil ad rem facit, sive simulatur, sive non, confessio. Opinio ergo Sancij defendi tantum potest, quando in ipsa domo & loco ad confessionem

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref XLII. &c. 395

cessionem deputato, & sub confessionis figura, ut ita dicam, simulat Confessor ad inspectantes illudendos confessionem audire, et si ab ipso non incipiat sollicitatio, nec præcedat inter eos tractatus, simulatio namque ipsa per se sufficit. Ita Freitas. Igitur prætextus confessionis, de quo agit Constitutio Gregoriana, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, de quo videndus est Soula de Confess. sollicit. in addit. n. 10.

RESOL. XLII.

An sit denunciandus Confessarius, qui dicente femina se velle in crastino confiteri, illam sollicitat, & confessionem diffundit? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 6.

S. 1. Non esse denunciandum tenet Sancius in selectis disp. 1. 1. num. 49. ubi sic ait: Si femina se velle crastino confiteri diceret, & tunc dissuadet Confessarius, & venerea ageret, propriè non dicitur sollicitata proximè ante confessionem, cum tunc quando sit sollicitatio, nolit femina confiteri, unde sollicitatio tunc non est proxima confessioni faciendæ, sed proxima conventioni de illa agenda. Ita ille. Cujus sententiam novissimè invento docere etiam Castrum Palatum tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. n. 4.

2. Sed in terminis Bullæ Gregor. XV. contrariam sententiam tenendam esse puto, quia hæc sollicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem sollicitat, simulat ejus confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, & ideo est denunciandus. Et ita hanc sententiam tenet Fagundez de precept. Eccles. in editione novissima, pr. 1. lib. 4. cap. 3. num. 49.

RESOL. XLIII.

An Confessarius sollicitans feminam ad confessionem accedentem, quia eam ipse prævenit, faciendo diffundere confessionem in aliud tempus, sit denunciandus?

Et quid est dicendum, si mulier absque Confessarii suavisu, in ipsa jam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta, sollicitatio sequatur? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 46.

S. 1. Negativè respondet Antonius Soula opus. de Confess. sollicit. tr. 1. cap. 18. num. 7. ubi sic ait. In hoc decreto Pauli V. existimo non comprehendi casum illum, nimirum si accedens femina confessionis causa à Confessario præveniat, ut confessio in alio tempore, post aliud tempus differatur, mutuoque consensu animo à Confessario sollicitetur, nam sollicitatio tunc non est immediata ad confessionem, cum ante omnem sollicitationem mutuum sit propositum confitendi; sicut si femina ipsa, quæ alias ut confiteretur accessit, dicat Confessori se jam confiteri nolle, & Confessarium sollicitet, cui sollicitationi ille consensum præbeat, imò & in actum venereum illic deveniat, pro eodem enim reputo mulierem propositum confitendi mutasse jam ad pedes Confessoris, ac si domi, aut in itinere antequam ad Confessarium accederet, illud mutasset, dummodo id fuerit ante sollicitationem. Idem etiam puto si mulier absque Confessarii suavisu in ipsa jam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta, sollicitatio sequatur. Hec omnia Soula.

2. Quæ quidem an sint probabilia in terminis de-

creti Pauli V. remitto me judicio aliorum: nam Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicitant. quest. 14. num. 16. docet in casu primo, quem ponit Soula, Confessarium esse Inquisitoribus denunciandum. Sed quicquid sit de hoc, certum est hodie stante Bulla Gregor. XV. hos Confessarios esse denunciandos, quia hæc sollicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem sollicitat, simulat ejus confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, us in casu simili ex Fagundez supra dictum est.

Supr. in ref. quæ hic est antecedens.

RESOL. XLIV.

An sit denunciandus Confessarius, qui feminam ad confessionem accedentem ante signum Crucis sollicitat illam, dilata in aliud tempus confessionem?

Et quid est sciendum, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, illam sollicitet, quamvis confessio non sequatur? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 39.

S. 1. Est talem Confessarium denunciandum in terminis Bullæ Greg. XV. non est dubitandum. Difficultas est in terminis aliarum Bullarum Pauli V. Clem. VIII. &c. Negativè respondet Soula de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 18. num. 7. Sed adversus illum, & merito, insurgit Freitas in editione novissima de Confess. sollicit. quest. 14. num. 28. quia praxis S. Officii est in contrarium, cum tales Confessarii in Tribunali Sacre Inquisitionis plectantur, ut accidisse Pinciaz testatur ipse Freitas. Deinde certum est secundum communem opinionem Doctorum, & tenet Moura opus. 1. de incant. sect. 3. cap. 3. num. 18. in terminis dictarum Bullarum Confessarios sollicitantes paulo post, vel ante confessionem, esse denunciandos; sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c. Deinde non satis percipitur discrimen inter hunc casum, & illum, quem probat ipse Soula in num. 6. ubi sic ait: Idem existimo, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, ipsam sollicitet, quamvis confessio non sequatur, siue quia sollicitata confiteri postea noluit, siue quia Confessarius audire recusavit, aut ad alium Confessorem remisit. Ita ille. ergo omnino dicendum in dubio proposito talem Confessarium esse Inquisitoribus denunciandum.

Sup. contēto in hac Ref. in ref. præced. ita & in ref. seq. cū eodē Freitas in fin. & inf. in ref. 81. post med. à vers. qui etiam.

RESOL. XLV.

An sit denunciandus Confessarius, qui non absolvit feminam ex aliqua justa causa, si tamen illam sollicitet?

Et quid, si femina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia sollicitante?

Et quid est dicendum, si filiam spirituales, hoc est ex præcedentibus confessionibus notam, ad genua procumbentem ante signum Crucis illam preoccupat Confessarius sollicitans? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 30.

S. 1. Respondet affirmativè Sancius in selectis disp. 11. num. 41. ubi sic ait: Si Confessarius deprehendens feminam verum propositum emendationis non adducere, & ob id absolvendam non iri, adhuc sollicitet, pœnas Brevis non vitabit, quia licet Sacramentum non conficiatur, accusatio tamen in foro conscientie fit, quæ sufficit ad obligationem sigillis; & liquet quoque ex decreto Greg. X V. in illis verbis, Qui occasione confessionis etiam ipsa confessione non sequuta sollicitare, &c. Ita Sancius, cui addendus est Acugna tr. de Confess. sollicit. quest. 14. num. 10. ubi ejus additionator Freitas num. 16. alios duos casus sollicitatio-

Sup. hoc inf. in ref. 87. Si verum prope fin.

nis